



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 74. Archidiaconale Concilium Hasbaniæ in Ecclesia Leodiensi  
celebratum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](#)

Sæc. XVII. deri current, Pastoribus vero inhibetur,  
A.C. 1612. ne communionem sub utraque specie  
 sine consensu Sedis Apostolicæ admi-  
 nistrent, nec matrimonio jungant Ca-  
 tholicos cum hæreticis, nisi moralis spes  
 conversionis subsit: eadem ferme de-  
 creta in Concilio die secunda Octobris  
 Coloniæ celebrato innovata reperimus.  
 Eodem quoque anno Franciscus Buil-  
 feret Namurcensis Episcopus, cum Sy-  
 nodum celebrare justis ex caussis præ-  
 pediretur, capitularem, ut vocant, Con-  
 gregationem Concilii Geldoniensis in  
 Gallica Brabantia die quarta Mensis  
 Junii habuit, in qua tamen præter ea  
 quæ in aliis Synodis passim statuta le-  
 guntur, nihil singulare decrevit.

### §. LXXIV.

#### *Archidiaconale Concilium Hasbaniaæ in Ecclesia Leodiensi celebratum.*

*Cong. Germ.* Juxta Ecclesiæ decreta Archidiaconi  
*t. 4. p. 180.* cum suo Clero sæpius Synodos ce-  
 lebrare jubentur, ejusmodi igitur Sy-  
 nodum Arnoldus Hildesheimensis Præ-  
 positus, & Hasbaniaæ Archi-Diaconus au-  
 thoritate sui Episcopi cum sui Archi-Dia-  
 conatus Clericis die decima quinta Se-  
 ptembris celebrabat, ubi observandum,  
 quod Synodus postremos dies Paschæ,  
 Pentecostes, Nativitatis Domini, S.  
 Catha-

Catharinæ & alios quidem abrogarit, Sæc. XVII.  
A.C. 1612.  
non tamen fideles suos ad manuum la-  
borem adstrinxerit, sed potius eos juxta  
exemplum defuncti Episcopi sui Ernesti  
hortata fuerit, ut illi, qui sine labore  
manuum vivendi facultatem habent,  
cultum Dei his diebus augeant, ceteri  
vero quod de Sanctorum cultu remit-  
tunt, frequentioribus ad Deum preci-  
bus compensent(\*). Insuper Synodus  
*taxam*, ut vocant, præscripsit pro vitæ  
stipendio & labore functionum Eccle-  
siasticarum percipiendam.

§. LXXV.

*Synodus Diæcesana Boscodunensis &  
Gandavensis.*

Die nona Mensis Octobris pariter Gis-  
bertus Masius Buscodunensis Epi-  
scopus suam celebrabat Synodum, in  
qua cum hæreticis conversari, linquæ  
addiscendæ, vel mercaturæ gratia in  
eorum ditiones emigrare, aut si qui  
eo peragrare teneantur, eorum sectam  
simulare, jejunia, vel festos dies præ-  
terire, aut cum eis temere disputare,  
severe inhibitum legimus: prohibetur  
etiam, ne Catholici vel per se, vel

K 5 per

(\*) Hoc idem jam anno 1608. in Synodo  
Leodiensi statutum est.